

1120, ABRIL, 18 — *Carta de doação e couto do burgo do Pôrto a favor do bispo D. Hugo e seus sucessores.*

T T. — Reg. Afonso II, fl. 75 v. [A]; A D P. — L.º VI Originalis, fl. 72, doc. 2 [B] (\*)

Precedencium auctoritate patrum amonemur ut quicquid firmum et stabile fieri uolumus scriptis et litteris tradendo presencium et futurorum memorie commendamus. Quapropter ego regina Tharasia gloriosi inperatoris<sup>1</sup> filia ad laudem et gloriam domini nostri Ihesu Christi et ob amorem<sup>2</sup> Beatissime Virginis Marie et pro remissione peccatorum nostrorum<sup>3</sup> et redemptione anime mee et parentum meorum facio testamentum et cartulam donationis per huius scripture firmitatem Portugalensi sedi de toto illo burgo sine alio herede cum omnibus suis redditibus et suis adiacencijs et cum et cum (\*) ecclesia Sancti Petri et Rotundela et Busto et castro quod a uulgo dicitur Luneta cum omnibus pertinencijs suis et Germinadi quod primitus soror mea regina Vrraca dederat et cum omnibus regalibus hereditatibus que infra ipsum cautum continentur. Dono itaque et concedo perpetua stabilitate supra dictas hereditates siue piscarias Sancte Marie Portugalensis sedis et domno Hugoni eiusdem ecclesie episcopo eiusque successoribus et facio cautum firmissimum per terminos suos, uidelicet per Lunetam deinde per Connari riuiulum qui currit iusta placium<sup>4</sup> de Garsia Gonsalui inde ad petras fixiles deinde per Paramios ad Barrosam inde ad archam ueterem que est prope fontem inde ad aliam archam deinde ad petram furcatam inde ad montem qui uocatur Pede Mule deinde per Montem Cautiuis<sup>5</sup> inde sicuti diuiditur Citofacta cum Germinadi deinde per curtim fratrum inde ad canalem maiorem sicuti decurrit in Dorij flumen. Quodcumque igitur ius et quamcumque proprietatem infra supra dictos terminos habeo uel habere debeo de Baucis siue de Sancta Maria Aquis Sanctis siue de alijs regalibus possessionibus totum ecclesie Sancte Marie Portugalensis sedis et domno Hugoni supra dicte ecclesie episcopo suisque successoribus<sup>6</sup> testor et dono et per cautum confirmo ut habeat et possideat ecclesie<sup>7</sup> Portugalensis sedis euo perhenni et seculis seculorum. Si quis uero de propinquis meis uel de alienis hoc testamentum et cartulam donationis seu cautum irrumpere uel auferre seu infringere temptauerit in primis iram Dei incurrat et a sacratissimo corpore et sanguine domini nostri Ihesu Christi alienus fiat et nisi emendauerit cum Iuda traditore in inferno participationem<sup>8</sup> habeat et quod faceret<sup>9</sup> presumpserit irritum sit et euanescat et insuper sex milia solidorum et auri talentum

(\*) O doc. [B] é inst. publ. de 23 de Junho de 1343 com formas ortográficas peculiares do sec. XIV, tais como *ff* dobrados, inadmissíveis no orig. Como [A], proveniente do registo original da chancelaria, é quanto à grafia melhor que [B], limitamo-nos a dar desta lição as variantes em que há diferenças vocabulares ou desinenciais.

(\*) sic.

componat. Hec uero cartula semper sit firma et inuiolata permaneat. Facta autem kartula Era M.º C.º L.º VIII.º et fuit roborata in die Sancte<sup>10</sup> Pasce mense Aprilis, id est XIII<sup>11</sup> Kalendas Maij luna XV anus incarnationis Dominice M.º C.º XX.º indictione II.º concurrentes III.º epacta nulla, pontificatus autem domni Hugonis eiusdem ecclesie episcopi anno VI.º (\*). Ego regina Tharasia gloriosi inperatoris Ildelfonsi filia hanc cartulam testamenti seu cautum proprijs meis manibus una cum consensu filij mei Ildelfonsi et filiarum mearum Vrrace et Sancie roboro. Qui presentes fuerunt et uiderunt et audierunt: G. Nuni<sup>12</sup>, Menendus Veegas<sup>13</sup>, P. Pelagij<sup>14</sup>, Pelagius Pelagij, Egas Gondesendiz, Menendus Bofio<sup>15</sup>, Vida Nuno. Ego Ildelfonsus filius regine Tharasiae conf.<sup>16</sup>, ego Sancia regine Tharasiae filia conf.<sup>16</sup>, ego Vrraca regine Tharasiae filia conf.<sup>16</sup>, Hugo Portugalensis eiusdem ecclesie episcopus conf., Hylarius eiusdem ecclesie archidiaconus conf., G.<sup>17</sup> eiusdem ecclesie archidiaconus conf., Nunus eiusdem ecclesie archidiaconus conf., Froila Aluitiz conf., Pelagius presbiter et canonicus<sup>18</sup>, Suarius Gosen-diz presbiter conf., Didacus diaconus et canonicus<sup>18</sup>, P.<sup>19</sup> subdiaconus et canonicus conf., Menendus notarius scripsit.

15 Ego A[lfonsus] II.ºº Dei gratia Port[ugalensis] rex una cum uxore mea regina domna V[rraca] et filijs nostris infantibus domno Sancio et domna A[lionor] et domno F[ernando] et domno A[lfonso] concedo et confirmo illam cartam quam bisaua mea regina domna Tharasia fecit episcopo et sedi Portugalensi de toto illo burgo et de omnibus alijs superius scriptis. Concedo inquam et confirmo in omnibus et per omnia uobis domno Martino episcopo et sedi Portugalensi et cu[m]c[um] successoribus uestris in perpetuum. Vt autem confirmacio mea et concessio maius robur obtineant hanc cartam iussi fieri et eam meo sigillo plumbeo communiri, que fuit facta apud Sanctaren mense Marcio Era M.º CC.º L.º VI.º Ego rex supra nominatus et uxor mea et filii supra nominati qui hanc cartam fieri iussimus coram subscriptis eam roborauimus et in ea hec signa fecimus + + + +. Qui affuerunt: Domnus M[artinus] Iohannis signifer domini regis conf., Domnus P[etrus] Iohannis maior domus curie, Domnus L[aurencius] Suarii, Domnus Gil Valasqui, Domnus Iohannes Fernandi, Domnus F[ernandus] Fernandi, Domnus Gomecius Suarii, Domnus Rodericus Menendi, Domnus Poncius Alfonsi, Domnus Lopus Alfonsi, Domnus Stephanus Bracarensis archiepiscopus conf., Domnus M[artinus] Portugalensis episcopus, Domnus P[etrus] Colimbriensis episcopus, Domnus S[uaris] Vlixbonensis episcopus, Domnus S[uaris] Elborensis episcopus, Domnus Pelagius Lamecensis episcopus, Domnus Bartolameus Visensis episcopus, Domnus M[artinus] Egitanensis episcopus conf., Magister Pelagius cantor Portugalensis ts., Petrus Garsie ts., Iohanninus ts., Vincencius Menendiz ts., Martinus Petri ts., Petrus Petri, G[unsaluus] Menendi cancellarius curie, Laurencius Martini scripsit.

VARIANTES EM [B]:

<sup>1</sup> imperatoris Ildelfonsi    <sup>2</sup> amorem et honorem    <sup>3</sup> meorum    <sup>4</sup> palatium    <sup>5</sup> de Captiuis  
<sup>6</sup> successoribus    <sup>7</sup> ecclesiam    <sup>8</sup> participationem    <sup>9</sup> facere    <sup>10</sup> Sancto    <sup>11</sup> x b i j (?)    <sup>12</sup> Go-  
mez Nunez    <sup>13</sup> Egee    <sup>14</sup> Petrus Pelaiz    <sup>15</sup> Boffino    <sup>16</sup> conf. et roboro    <sup>17</sup> Gundisaluus  
<sup>18</sup> canonicus conf.    <sup>19</sup> Petrus.

(\*) Todos os dados cronológicos são concordantes.